

www.e-rara.ch

Caii Svetonii Tranquilli Opera Quæ Exstant

Suetonius Tranquillus, Gaius

Basileæ, M DC LXXV

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25541>

[Galba]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



PROGENIES * Cæsarum in Nerone defecit: quod futurum compluribus quidem signis, sed evidentissimis duobus, apparuit. Liviæ olim post Augusti statim nuptias Vejentanum suum revisenti, prætervolans aquila, gallinam albam, ramulum lauri rostro tenentem, ita ut rapuerat, demisit in gremium: cùmque nutriri alitem, pangique ramulum placuisset, tanta pullorum soboles provenit, ut hodie quoque ea villa *ad gallinas* vocetur: tale verò lauretum, ut triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent: fuitq; mos triumphantibus, alias confestim

Progenies Cæsarum in Nerone defecit. Id quod ex genealogia Cæsarum manifestum est: quam ex nummis, marmori- bus, scriptisque antiquis quâ potuit fieri diligentia collectam vitæ Julii præfiximus.

eodem loco pangere : & observatum est sub cujusque obitum arborem ab ipso institutam , elanguisse. Ergo novissimo Neronis anno, & silva omnis exaruit radicitus, & quidquid ibi gallinarum erat , interiit : ac subinde tactâ de cœlo Cæsarum æde , capita omnibus simul statuis deciderunt : Augustique sceptrum è manibus excussum est.

2. Neroni Galba successit, nullo gradu contingens Cæsarum domum : sed haud dubiè nobilissimus, magnâque & vetere prosapiâ : ut qui statuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATVLI CAPITOLINI semper adscripserit : Imperator verò etiam stemma in atrio proposuerit, quo paternam originem ad Jovem: maternam ad Pasiphaën Minois uxorem referret.

3. Imagines & elogia universi generis exsequi longum est : * familiæ breviter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit , cur , aut unde traxerit , ambigitur. Quidam putant, quòd oppidum Hispaniæ frustra diu oppugnatum illitis demùm galbano facibus succenderit : alii quòd in diuturna valetudine galbeo, id est, remediis lanâ involutis assiduè uteretur : nonnulli quòd præpinguis fuerit visus , quem *galbam* Galli vocent : vel contra, quòd tam exilis, quam sunt animalia, quæ in esculis nascuntur, appellanturque *galbæ*. Familiam illustravit Serv. Galba consularis , temporum suorum eloquentissimus : quem tradunt, Hispaniam ex prætura obtinentem, XXX. Lusitanorum millibus perfidiâ

Familiæ. Plurimos habemus nummos diligentissimi Ursini curâ perdoctè SVPICIAE gentis, in Fam. Rom. cufos, explicatos.

trucidatis, Viriati ni belli caussam exstitisse. Ejus nepos ob repulsam consulatus infensus Julio Cæsari, cujus legatus in Gallia fuerat, conspiravit cum Cassio & Bruto: propter quod Pedia lege damnatus est. Ab hoc sunt Imperatoris Galbæ avus & pater. Avus clarior studiis quàm dignitate: non enim egressus præturæ gradum, multiplicem nec incuriosam historiam edidit. Pater consulatu functus, quàm brevi corpore atque, etiam gibber modicæque in dicendo facultatis caussas industriè actitavit. Uxores habuit Mummiam Achaicam, * neptem Catuli, proneptem L. Mummii, qui Corinthum excidit, item Liviam Ocellinam, ditem admodum & pulchram, à qua tamen nobilitatis causâ appetitus ultrò existimatur, & aliquantò enixius, postquam subinde instanti vitium corporis secretò positâ veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Ex Achaica liberos, Cajum & Servium procreavit. Quorum major Cajus attritis facultatibus Urbe cessit: prohibitusque à Tiberio fortiri anno suo proconsulatum, voluntariâ morte obiit.

4. Servius Galba Imperator, M. Valerio Messallâ, Cn. Lentulo Co s s. natus est, IX. Kalend. Januarii, in villâ colli suppositâ, prope Terracinam sinistrorsum Fundos petentibus. Adoptatus à noverca sua, Livii

Neptem Catuli, proneptem L. Mummii. Catuli nummum exposuimus suprâ p. 11. Mummii ille cui cognomen ACHAICI victoria dedit Urbem signis replevit, ut Plinii verbis utar lib. 34. cap. 7. tabulisque externis auctoritatem Romæ publicè fecit primus, lib. 3. cap. 4. Namque cum præda vendenda rex

Attalus VI. M. sestertiûm emisset Aristidis tabulam Liberum patrem continentem, pretium miratus, suspicatusque aliquid in ea virtutis quod ipse nesciret, revocavit tabulam, Attalo multum quærente, & in Cereris delubro posuit, quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam.

nomen, & Ocellæ cognomen assumpsit, mutato prænomine. Nam & Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit. Constat Augustum puero adhuc salutanti se inter æquales, apprehensâ bucculâ dixisse, * καὶ οὐ τέκνον τῆς δεξιῆς ἡμῶν ἀδελφεώξην. Sed & Tiberius, cùm comperisset imperaturum eum, verùm in senectâ: *Vivat sanè*, ait, *quando id ad nos nihil pertinet.* Avo quoque ejus fulgur procuranti, cùm exta de manibus aquila rapuisset, & in frugiferam quercum contulisset, summum sed serum imperium portendi familię responsum est. Et ille irridens, *Sanè*, inquit, *cùm mula pepererit.* Nihil æquè postea Galbam tentantem res novas confirmavit, quàm mulæ partus: cæterisq; ut obscœnum ostentum abhorrentibus, solus pro lætissimo accepit, memor sacrificii, dictique avi. Sumptâ virili togâ, somniavit fortunam dicentem, *stare se ante fores defessam: & nisi ocyùs reciperetur, cuicumque obvio præda futuram.* Utque evigilavit, aperto atrio, simulachrum æneum Deæ cubitali majus juxta limen invenit: idque gremio suo Tusculum, ubi æstivare consueverat, avexit: & in parte ædium consecratum, mensuris deinceps supplicationibus & pervigilio anniversario coluit. Quamquam autem nondum ætate constanti, veterem civitatis, exoletumque morem, ac tantum in domo sua hærentem, obstinatissimè retinuit: ut liberti fervique bis die frequentes adessent, ac manè salvere, vesperi valere sibi singuli dicerent.

5. Inter liberales disciplinas attendit & juri. Dedit & matrimonio operam: verùm amissa uxore Lepida,

Et tu fili, imperium nostrum degustabis.

duobusque ex ea filiis, remansit in cœlibatu, neque sollicitari ullâ conditione amplius potuit, ne Agrippinæ quidem viduatæ morte Domitii, quæ maritum quoque adhuc nec dum cœlibem Galbam, ad eò omnibus sollicitaverat modis, ut inter conventum matronarum correpta jurgio, atque etiam manu pulsata sit à matre Lepidæ. * Observavit ante omnes Liviam Augustam: cujus & vivæ gratiâ plurimum valuit, & mortuæ testamento penè ditatus est: H-S. namque quingenties cum præcipuum inter legatarios habuisset, quia notata non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hæc quidem accepit.

6. Honoribus ante legitimum tempus initis, Prætor commissione ludorum Floralium, novum spectaculi genus, elephantos funambulos edidit: exin provinciæ Aquitanix anno ferè præfuit: mox consulum per sex menses ordinarium gessit. Evenitque ut in eo ipse L. Domitio patri Neronis, ipsi Salvius Otho pater Othonis succederet, velut præfagium insequentis casus, quòd medius inter utriusque filios extitit Imperator. A Cajo Cæsare, Getulico substitutus, prostridie quàm ad legiones venit, solenni fortè spectaculo plaudentes inhibuit, datâ tessera, *ut manus pænulis continerent.* Statim per castra jactatum est,

Disce miles militare, Galba est, non Getulicus.

Observavit ante omnes Liviam Augustam. subjungit Suetonius, omnis generis Sive propter cognationem, quâ ei nummos ei dicavit, sub habitu Deæ, hæc junctus erat, teste Plutarcho: sive inscriptione, DIVA AVGVSTA, nobiliore propter opes sibi ab illa legatas, ut scilicet quàm aut LIVIA aut JULIA.

Pari severitate interdixit commeatus peti. Veteranum ac tironem militem opere assiduo corroboravit: maturéque barbaris, qui jam in Galliam usque proruperant, coërcitis, præfenti quoq; Cajo talem & se & exercitum approbavit, ut inter innumeras contractásque ex omnibus provinciis copias, neque testimonium neque præmia ampliora ulli perciperent. Ipse maximè insignis, quòd campestem decursionem scuto moderatus, etiam ad essedum Imperatoris per viginti passuum millia cucurrit.

7. Cæde Caji nuntiatâ, multis ad occasionem stimulantibus, quietem prætulit. Per hoc gratissimus Claudio, receptusque in cohortem amicorum, tantæ dignationis est habitus, ut cum subita ei valetudo neque adeò gravis incidisset, dilatus sit expeditionis Britannicæ dies, Africam Proconsule biennio obtinuit, extra sortem electus ad ordinandam provinciam, & intestinâ dissensione & barbarorum tumultu inquietam. Ordinavitque magnâ severitatis ac justitiæ curâ, etiam in parvulis rebus. Militi, qui per expeditionem annonâ arctissimâ residuum cibarium tritici modium centum denariis vendidisse arguebatur, vetuit, simulatque indigere cibo cœpisset, à quoquam opem ferri: & is fame extabuit. At in iure dicendo, cum de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrimque argumentis, & testibus, ideóque difficili conjectura veritatis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi adaquari solebat, duceretur capite involuto: atque ibidem revelatò, ejus esset ad quem sponte se à potu recepisset.

8. Ob res, & tunc in Africa, & olim in Germania gestas ornamenta triumphalia accepit, & sacerdotium

triplex, inter XV viros, sodalésque Titios item Augustales cooptatus : atque ex eo tempore propè ad medium Neronis principatum in secessu plurimum vixit : ne ad gestandum quidem umquam iter ingressus, quàm ut secum vehiculo proximo decies H-S in auro efferret, donec in oppido Fundis moranti Hispania Tarraconensis oblata est. Acciditque, ut cum provinciam ingressus sacrificaret intra ædem publicam, puero è ministris acerram tenenti, capillus repentè toto capite canesceret. Nec defuerunt qui interpretarentur, significari rerum mutationem, successurumque juveni senem : hoc est, ipsum Neroni. Nec multò post in Cantabriæ lacum fulmen decidit : repertæque sunt duodecim secures, haud ambiguum summi Imperii signum.

9. Per octo annos variè & inæquabiliter provinciam rexit. Primò acer, vehemens, & in coërcendis quidem delectis vel immodicus. Nam & nummulario non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensæque ejus affixit. Et tutorem, quòd pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, cruce affecit : implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiore & dealbatam statui crucem jussit. Paullatim in desidia segnitieque conversus est, ne quid materiæ præberet Neroni : & ut dicere solebat, *quòd nemorationem otii sui reddere cogeretur*. Carthagine novâ conventum agens, tumultuari Gallias comperit. Legato Aquitaniæ auxilia implorante, supervenerunt Vindicis litteræ,

hortantis, ut *★ humano generi assertorem ducémque se accommodaret.* Nec diu cunctatus conditionem partim metu, partim spe recepit. Nam & mandata Neronis de nece suâ ad procuratores clam missâ deprehenderat : & confirmabatur cum secundissimis auspiciis, & omnibus, tum virginis honestæ vaticinatione, tantò magis, quòd eadem illa carmina *★ sacerdos Jovis Cluniæ ex penetrali somnio monitus eruerat, ante ducentos annos similiter à fatidica puella pronuntiata.* Quorum carminum sententia erat, *Oriturum quandòq; ex Hispania principem, dominumque rerum.*

10. Igitur cum quasi manumissioni vacaturus conscendisset tribunal, propositis ante se damnatorum occisorumque ac Nerone quàm plurimis imaginibus, &

Humano generi assertorem. Solemnis erat hæc formula eruditis illis temporibus. Occurrit illa in nummis Augusti argenteis & æreis quos vidi. Aureos insuper scalpsit Goltzius typo superbissimos, in primo Trium-Viri R.P.C. adstant aræ sacrificantes, Pace Deâ infrà cubante. In altero tres dexteræ junctæ

fascibus caduceoque interpositis, concordiam universam, pacemque demonstrant : Utrique inscriptum, SALVS GENERIS HVMANI. Eandem epigraphen suis in nummis arrogavit Galba, sublato videlicet Nerone, humani generis peste atrocissimâ, cum Deâ Salutis typo.



Sacerdos Jovis Clunia. Clunia à Galba Sulpicia dicta, oppidum est Hispaniæ, de quo Plinius, *lib. 3. cap. 3.* & Plutarchus, *in Galba.* Celebratur illa in perraro

nummo, quem imitatus est suo more Jo. Cavinus Patavinus, cum quadraginta aliis quorum ectypos, matrices vocant, penes me Parisiis fuerunt.

adstante nobili puero, quem exsulantem ex proxima Baleari insula, ob id ipsum acciverat, deploravit temporum statum, consalutatúsque IMPERATOR, *legatum se Senatus ac Populi Roman.* professus est. Deinde iustitio indicto, è plebe quidem provinciæ legiones & auxilia conscripsit, super exercitum veterem legionis unius, duarúmque alarum, & cohortium trium. Ac è primoribus prudentiâ atque ætate præstantibus, velut instar senatus, ad quos de majore re, quoties opus esset, referretur, instituit. Delegit & equestris ordinis juvenes, qui manente annulorum aureorum usu, *Evocati* appellarentur, excubiásque circa cubiculum suum vice militum agerent. Etiam per provincias edicta dimisit, auctor singulis universisque conspirandi simul, & ut quâ posset quisque operâ, communem causam juvarent. Per idem ferè tempus in munitione oppidi, quod sedem bello delegerat, repertus est annulus opere antiquo, sculpturâ gemmæ Victoriâ cum tropæo exprimente. Ac subinde Alexandrina navis Dertosam appulit armis onusta, sine gubernatore, sine nauta ac vectore ullo: ut nemini dubium esset, justum piúmque, & faventibus diis, bellum suscipi. Cùm repente ex inopinato propè cuncta turbata sunt: alarum altera castris appropinquantem, pœnitentiâ mutati sacramenti, destituere conata est, ægréque retenta in officio: & servi, quos à liberto Neronis ad fraudem præparatos muneri acceperat, per angiportum in balneas transeuntem penè interemerunt: nisi cohortantibus invicem, ne occasionem omitterent, interrogatisque de qua occasione loquerentur, expressa cruciatu confessio esset.

11. Accessit ad tanta discrimina mors Vindicis, quâ maximè consternatus, destitutóque similis non multum abfuit, quin vitæ renuntiaret. Sed supervenientibus ab Urbe nuntiis, ut occisum Neronem, cunctósque in verba sua jurasse cognovit: depositâ LEGATI, suscepit CÆSARIS appellationem. Itérque ingressus est paludatus, ac dependente à cervicibus pugione ante pectus, nec priùs usum togæ recuperavit, quàm oppressis, qui novas res moliebantur, præfecto prætorii Nymphidio Sabino: Romæ: in Germania, Fontejo Capitone * in Africa, Clodio Macro, legatis.

In Africa Clodio Macro. Optarem avidè nullum antiquitatis *τελευτησιον* desiderari ejus nummo pridem vulgato inter meos æreos, pag. 124. confirmandæ enim historiæ nobis non satis notæ lucem adferret, & si præter Autorem nostrum de eo scripserint Plutarchus, in *Galba*, & Tacitus, lib. 17. & 18. Clodius ille Macer tunc temporis Africæ præses auditâ Neronis nece, regionem totam turbavit, cohortésque delegit, sunt enim Taciti verba, *hist. lib. 2.* quarum ope se imperio potiturum sperabat. Legionem etiam contraxisse, quam suo nomine donaverit, probat denarius ille rarissimus, ad imitationem legionum, Antonio III. Viro parentum, cusus. LEGIONIS PRIMÆ MACRIANÆ LIBERÆ seu LIBERATRICIS, fortè nomén induit, quodd jugum Nero-

nis excusserit. Conjecturam firmat Libertas Dea pileum tenens, temporibus illis maximè conveniens: Quippe quibus *plebs pileata totâ Urbe discurrebat*, ut Autor refert in extremo Nerone. Hanc ob causam etiam Galbam Libertate nummos signasse videmus, tanti ab Imp. Trajano æstimatos, ut & nomine suo & restitutionis notâ eos insigniri jusserit. Ad illustrandum MACRI nummum faciunt superstites celeberrimi Oconis August. ad *Illustr. Amerbachium Basil. epistolæ, M-S.* in quibus hæc legi, in musæo Feschiano. *Macri meum nummum mittam de quo Fulvius aliud nihil, nisi quodd putet non esse legitimum, cum tamen omninò γνήσιον sit, ut nemo dubitet.* Eruditam Amerbachii responsionem, ne prolixior videar, mittere cogor.



12. Præcesserat de eo fama sævitæ simul atque avaritiæ: quòd civitates * Hispaniarum Galliarumque, quæ cunctantiùs sibi accesserant, gravioribus tributis, quasdam etiam murorum destructione punisset: & præpositos procuratorésque supplicio capitis affecisset cum conjugibus ac liberis: quòdque oblatam à Tarraconensibus è vetere templo Jovis coronam auream librarum quindecim conflasset, ac tres uncias quæ ponderi deerant, jussisset exigi. Ea fama & confirmata & aucta est, ut primùm Urbem introit. Nam cum classarios, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat, redire ad pristinum statum cogeret: recusantes, atque insuper

Hispaniarum Galliarumque. Hæ provinciæ multos nummos in honorem Galbæ cuderunt in spem optimi Principis, extincto pessimo. Utinam hodie atque in æternum, ita ex voto bonorum omnium convenirent. De Gallia Hispaniæque dixi in *Thes. pag. 55.* Tres unus Gallias representat, Belgicam, Celticam & Aquitanicam quibus Galbæ temporibus, Gallia tota comprehendebatur.



aquilam & signa pertinaciùs flagitantes, non modò immisso equite disjecit, sed decimavit etiam. Item Germanorum cohortem à Cæsaribus olim ad custodiam corporis institutam, multisque experimentis fidelissimam dissolvit, ac sine ullo commodo remisit in patriam: quasi Cn. Dolabellæ, juxta cujus hortos tendebat, proniorem. Illa quoque, verène an falsò, per ludibrium jaçtabantur, appositâ lautiore cœnâ ingemuisse eum. Et ordinariò quidem dispensatori breviarium rationum offerenti, paropsiden leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisset. Cano autem choraulæ mirè placenti, denarios quinque donasse, prolatos manu suâ è peculiaribus oculis suis.

13. Quare adventus ejus non perinde gratus fuit: idque proximo spectaculo apparuit. Si quidem Atellanis notissimum canticum exorsus, *Venit io Simus à villa*: cuncti simul spectatores consentiente voce reliquam partem retulerunt, ac sæpiùs versu repetito egerunt.

14. Majore adeò & favore & auctoritate adeptus est, quàm gessit, Imperium: quamquam multa documenta egregii principis daret: sed nequaquam tam grata erant quàm invisa quæ secùs fierent. Regebatur trium arbitrio, quos unà & intra Palatium habitantes, nec umquam non adhærentes, pædagogos vulgò vocabant. Hi erant T. Vinius legatus ejus in Hispania, cupiditatis immensæ: Cornelius Laco, ex assessore præfectus prætorii, arrogantia & invidiâque intolerabilis: libertus Icelus, paullo ante annulis aureis & Martiani cognomine ornatus, ac jam summi equestris gradus candidatus. His diverso vitiorum genere grassantibus, adeò se abutendum permisit & tradidit,

ut vix sibi ipsi constaret: modò acerbior parciorque, modò remissior ac negligentior quàm conveniret principi electo, atq; illius ætatis. Quosdam claros ex utròque ordine viros suspicione minima inauditos condemnavit. Civitatem Rom. rarò dedit. Jura trium liberorum vix uni atque alteri: ac ne his quidem, nisi ad certum præfinitumque tempus. Judicibus sextam decuriam adjici precantibus, non modò negavit, sed etiam concessum à Claudio beneficium, ne hieme initiòque anni ad judicandum evocarentur, eripuit.

15. Existimabatur etiam senatoria & equestria officia biennii spatio determinaturus, nec daturus nisi invitis ac recusantibus. Liberalitates Neronis non plus decimis concessis, per quinquaginta equites Rom. eâ conditione revocandas curavit exigendasque: ut & si quid scenici aut xystici donatum olim vendidissent, auferetur emtoribus, quando illi absumpto pretio solvere nequirent. At contrà, nihil non per comites atque libertos pretio adipisci, aut donari gratiâ passus est * vectigalia, immunitates,

Vestigalia. Unius tributi remissionem, quod *QVADRAGESIMAM* vocant, celebrat hic nummus, à nobis inter æreos mediocres editus, pag. 126. & à Casaubono explicatus, triumphalem arcum ob id decretum referens. Exstant & alii eandem *XXXXREMISSIONEM* diversis typis indicantes, quos in Theatro edidimus, pag. 146. Faciunt hic

Quintiliani verba, *Declam. 359. Præter instrumenta itineris omnes res QVADRAGESIMAM publicano debeant.* Et Suet. verba, in *Vespas. cap. 1. Sabinus publicum QVADRAGESIMÆ in Asia fecit.* Quòd minùs frequens fuerit posterioribus temporibus id vestigialis nomen, fecit Vespasianus, qui, ut refert Auctor noster, *cap. 16. omissa sub Galba vectigalia revocavit.*



pœnas innocentium, impunitates noxiorum. Quin etiam Populo Roman. deposcente supplicium Haloti & Tigillini, solos ex omnibus Neronis emissariis vel maleficientissimos incolumes præstitit: atque insuper Halotum procuratione amplissimâ ornavit. Pro Tigillino etiam sævitix populum increpuit edicto.

15. Per hæc propè universis ordinibus offensus, vel præcipuâ flagravit invidiâ apud milites. Nam cùm in verba ejus absentis jurantibus donativum grandius solito Præpositi pronuntiasent: neque ratam rem habuit, & subinde jactavit, *legere se militem non emere consuesse.* Atque eo quidem nomine omnes qui ubique erant exacerbavit. Cæterum Prætorianos etiam metu & indignitate commovit, removens subinde pleròsque ut suspectos, & Nymphidii focios. Sed maximè fremebat superioris Germaniæ exercitus, fraudari se præmiis navatæ adversus Gallos & Vindicem operæ. Ergo primi obsequium rumpere ausi, Kal. Januarii adigi sacramento nisi in nomen Senatus, recusarunt: statimque legationem ad Prætorianos cum mandatis destinaverunt, *displicere Imperatorem in Hispania factum, eligerent ipsi quem cuncti exercitus comprobarent.*

17. Quod ut nuntiatum est, despectui esse non tam senectam suam, quam orbitatem ratus * Pisonem

Pisonem Frugi. Plures editi sunt Autoris nostri verbis discrepantem, ita CALPURNIÆ gentis nummi, è qua Piso. scribens: *Galba apprehensâ Pisonis manu, in hunc modum locutus fertur: Si Te privatus Vide Familias Roman. pag. 56. & Ant. lege curiatâ apud Pontifices, ut moris est, ad Augustinum, pag. 326. editionis nostræ optarem, & mihi egregium erat tunc Pompeji & Parisinæ. Adoptionis formulam celebrem M. Crassi sobolem in panates meos adsciscere.* refert Tacitus, *hist. lib. 1.* paululum ab

Frugi Licinianum, nobilem egregiumque juvenem, ac sibi olim probatissimum, testamentoque semper in bona & nomen adscitum, repente è mediâ salutantium turbâ apprehendit: filiûmque appellans, perduxit ad castra, ac pro concione adoptavit: ne tunc quidem donativi ulla mentione factâ: quò faciliorem occasionem M. Salvio Othoni præbuit perficiendi conata, intra sextum adoptionis diem.

18. Magna & assidua monstra jam inde à principio exitum ei, qualis evenit, portenderant. Cùm per omne iter dextrâ sinistrâque oppidatim victimæ cæderentur, taurus securis ictu consternatus, rupto vinculo, effedum ejus invasit: elatisque pedibus totum cruore perfudit, ac descendentem spiculator impulsu turbæ lanceâ propè vulneravit. Urbem quoq;, & deinde Palatium ingressum, excepit terra tremore, & assimilis quidam mugitui sonus. Secuta sunt aliquantò manifestiora. Monile margaritis gemmisque confertum ad ornandum Fortunam suam Tusculanam, ex omni gaza secreverat: id repente quasi augustiore digniùs loco Capitolinæ Veneri dedicavit: ac proximâ nocte somniavit speciem Fortunæ querentis fraudatam se dono destinato, nominantisque erepturam & ipsam quæ dedisset. Cùmque exterritus luce primâ ad expiandum somnium, præmissis qui rem divinam appararent, Tusculum excucurrisset nihil invenit præter tepidam in arâ favillam, atratûmque juxta fenem in catino vitreo thus tenentem, & in calice fictili merum. Observatum etiam est Kalend. Januariis sacrificanti coronam de capite excidisse: auspicanti pullos evolasse:

adoptionis die, neque milites * allocuturo castrensem fellam de more positam pro Tribunali, oblitis ministris, & in senatu curulem perversè collocatam.

19. Priùs verò quàm occideretur, sacrificantem manè haruspex identidem monuit, *caveret periculum: non longè percussores abesse.* Haud multò post cognoscit teneri castra ab Othone: ac plerisque ut eodem quàm primùm pergeret suadentibus (posse enim auctoritate & præsentiâ prævalere) nihil ampliùs quàm continere se statuit: & legionariorum firmare præfidiis, qui multifariàm diversèque tendebant. Loricam tamen induit linteam, quamquam haud dissimulans parùm adversus tot mucrones profuturam. Sed extractus rumoribus falsis, quos conspirati ut eum in publicum elicerent, de industria dissiparant, paucis temerè affirmantibus transactum negotium, oppressos qui tumultuarentur, advenire frequentes cæteros gratulabundos, & in omne obsequium paratos: his ut occurreret, prodiit tantâ fiduciâ, ut militi cuidam occisum à se Othonem glorianti, *Quo auctore* responderit, atque in Forum usque processit. Ibi equites,

Allocuturo. Egregium possideo nummum ADLOCUTIONEM celebrantem in Thesaurò editum, pag. 146. Eum ad

adoptionem Pisonis referunt alii, alii ad orationem ab Autore nostro commemoratam, cap. 10.



Æ



quibus mandata cædes erat, cùm per publicum dimotâ paganorum turbâ equos adegissent, viso procul eo, parumper restiterunt: deinde rursus incitati, desertum à suis contrucidârunt.

20. Sunt qui tradant ad primum tumultum proclamasse eum, *Quid agitis commilitones? ego vester sum, & vos mei*: donativum etiam pollicitum. Plures autem prodiderunt, obtulisse ultrò jugulum: & ut hoc agerent ac ferirent, quando ita videretur, hortatum. Illud mirum admodum fuerit, neque præsentium quempiam opem Imperatori ferre conatum: & omnes qui accerserentur, sprevisse nuntium, exceptâ Germaniciorum vexillatione. Hi ob recens meritum, quòd se ægros & invalidos magnoperè fovisset, in auxilium advolavêre: sed seriùs, itinere devio per ignorantiam locorum retardati. Jugulatus est ad lacum Curtii, ac relictus ita uti erat, donec gregarius miles à frumentatione rediens abjecto onere caput ei amputavit. Et quoniam capillo præ calvitie arripere non poterat, in gremium abdidit. Mox inferto per os pollice, ad Othonem detulit. Ille lixis calonibusque donavit: qui hastâ suffixum non sine ludibrio circum castra portarunt, acclamantes idemtidem, *Galba cupidè fruaris etate tua*. Maximè irritati ad talem jocorum petulantiam, quòd ante paucos dies exierat in vulgus, laudanti cuidam formam suam, ut adhuc floridam & vegetam, respondisse eum: * ἐπιμοι μολὶ ἔμπροσθεν ἐστὶ. Ab his Patrobii Neroniani libertus, centum aureis redemptum, eo loco ubi iussu Galbæ animadversum in patronum fuerat, abjecit. Serò tandem

Adhuc mihi firmum est robur.

dispensator Argius, & hoc & cæterum truncum in privatis ejus hortis Aureliæ viæ sepulturæ dedit.

21. Staturâ fuit justâ, capite præcalvo, oculis cæruleis, adunco naso, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis: ut neque calceum perperî, neque libellos evolvere aut tenere omnino valeret. Excreverat etiam in dexteriore latere ejus caro, propendebâtque adeò, ut ægrè fasciâ substringeretur.


22. Cibi plurimi traditur, quem tempore hiberno etiam ante lucem capere consueverat: inter cœnam verò usque eò abundantem, ut congestas super manus reliquias circumferri juberet, spargiq; ad pedes stantibus. Libidinis in mares pronior: & eos non nisi præduros, exoletosque. Ferebant in Hispania Icelum è veteribus concubinis, de Neronis exitu nuntiantem, non modò arctissimis osculis palàm exceptum ab eo, sed ut sine morâ velleretur oratum, atque seductum.

23. Perit tertio & septuagesimo ætatis anno imperii mense septimo. Senatus, ut primùm licitum fuit, statuam ei decreverat * rostratæ columnæ superstantem in parte Fori, quâ trucidatus est. Sed decretum Vespasianus abolevit, percussores sibi ex Hispania in Judæam submisisse opinatus.

Rostratæ columnæ. Seu rostris ornata vidimus, sed & exstant in nummis quibus navales victoriæ indicarentur, Augusti Titique, ideo hic apponitis. De *χαλκίμβρα* à Græcis nuncupabantur. iis Cæsar Virgilius, Horatius, Tacitus, Harum figuras in marmore sæpe Romæ Appianus, Josephus, & alii.



AR



AR

